

ergo est conceptus formalis: ex allata autem consideratione duplii de idea, facile erit solvere quasunque obiectiones in contrarium.

Num. 25.
Causa exemplari & ad
efficientem & ad for-
malē re-
noscatur.

Resolutio secunda: Idea reuocatur tum ad causam efficientem tum ad formalem; sub ea enim consideratione, quā est conceptus obiectiuū, ad causam efficientem reuocatur: sub consideratione, quā est formalis, reuocatur ad causam formalem. Probatur prima pars. Quia quod concurreat obiectiuē, concurrat efficienter, sed idea in tali consideratione concurreat obiectiuē, ergo & efficienter. Minor patet; maior probatur: Quod mouet potentiam, & concurredit cum ea ad actum, concurrat efficienter: sed conceptus obiectiuū mouet artificem, ut efficiuē producat similem Cathedram, ergo &c.

Confirm.

Confirmatur ex doctrina, quā traditur in libris de anima communiter, vbi dicitur, quōd species v. g. coloris in potentia visuā receptā concurrent efficienter cum potentia ad actum, licet se habeant obiectiuē ad potentiam; sic etiam statua Cæsarū dicetur suo modo efficiue concurrendo ad fabricationem similis statua Cæsarū.

Probatur altera pars: Illud est causa formalis, quod formaliter rem repräsentat; sed idea, vt est conceptus formalis, formaliter rem repräsentat, ergo reuocatur ad causam formalem: Minor liquet. Maior probatur: Ita se habet idea seu exemplar ad rem exemplatam, sicut se habet homo pīctus ad hominem viuum, & sicut se habet statua Cæsarū ad ipsum Cæarem: sed homo pīctus formaliter repräsentat hominem viuum, & statua Cæsarū ipsum Cæarem, ergo idem dicitur de idea.

Dices tamen: quomodo homo pīctus, qui tantum est homo analogicē repräsentat formaliter hominem viuum? nam illud repräsentat solum formaliter aliud, quod vniuocē conuenit cum illo.

obj.

Respondeo duplēcē esse formam, vnam intrinsecam, & alteram extrinsecam: quando aliquid repräsentat aliud formaliter intrinsecē, debet esse vniuocū cum repräsentato, at quando vnum repräsentat aliud formaliter extrinsecē, sufficit ut se habeat analogicā illud: Vnde duplex distinguetur causa formalis: vna intrinseca, informansq; intrinsecē, & alia formalis extrinseca, ad quam reuocabitur ipsa idea, non verò ad formalem intrinsecam; nihil autem vetat, quin aliquid in duplii genere causā repōnatur: secundū diuersas tamē considerationes: sic v. g. calor in igne est causa formalis accidentalis; Item albedo in pariete: at verò vt calor est id, quo ignis calefacit, pertinet ad causam efficientem; sic exemplar vt est intrinsecē in mente artificis, pertinet ad causam formalem, vt verò est id, quo vitius agens per rationem ad dirigendum opus ad extra, spectat ad causam efficientem: quare sub ratione conceptus formalis pertinet ad causam formalem, & sub ratione conceptus obiectiuū ad efficientem, quia ut sic assumitur ad dirigendum artificem in sua operatione: sed sub conceptu formalis concipiatur solum ut inhaerens in mente artificis, non autem ut ipsum dirigens.

obj.

Partitio. IX.

De causis in ordine ad suos effectus.

Subsequentium difficultatum explanationem tradet præsens partitio. Prima crit, an causa qualibet sit perfectior suo effectu? Secunda an necessariō debeat esse prior? Tertia an Deus suppleret possit causalitatem omnium causarum? Quarta: An omnis causa debeat distinguīrū à suo effectu? Quinta an unus numeri effectus possit procedere à pluribus causis. Piores quatuor nihil ferè continent difficultatis, at ista quinta satis est controverfa; quare illam pro debito exagitatione, præmisā breviter priorum veritate.

Respondeo itaque ad primam causas intrinsecas, hoc est materiam & formam, sive separationem, sive coniunctionem sumuntur, non esse praefantiores suis effectibus; cum enim compositum præter materiam contineat & formam, manifestum est, quōd vltra perfectionem, quam habet à materia, habeat quoque aliam perfectionem à forma. Item quōd præter perfectionem, quam habet à forma, habeat aliam à materia, vt ostensum est disp. de compoſitio, vbi probauimus formam non esse totam quidditatem compoſiti.

Item compositum est nobilissū suis partibus similiump̄tis, quia vltra eas importat tertiam quandam entitatem, vt visum est.

Quoad causam efficientem, & finalē, certum est illas esse nobiliores suis effectibus, quia omne, quōd habet effectus ipse, habet à sua causa efficienti, & finali, ergo illa perfectio debet esse in ipsa causa, est quē commune estatū in Philosophia, & Theologia, quōd omnis causa vniuoca sit saltem aequalis perfectionis cum suo effectu: causa verò æquiuoca maioris perfectionis, quia debet continere eminenter, & per consequens nobiliori modo, totam perfectionem quam dat suo effectui. De causa finali probatur: quia finis est nobilior medijs ad finem, loquendo præfertum de fine simpliciter, & de medijs naturaliter ordinatis ad finem; media autem sunt effectus causa finalis, ergo causa finalis est nobilior suo effectu.

Respondeo ad secundam contra Soncinatem 3. Metaph. quæst. 7. Omnem causam saltem naturā debere esse priorem suo effectu: Ita communiter Physici contra Soncinatem; Probatur: Omne dans esse alteri debet esse prius illo: sed omnis causa dat esse effectui, ergo &c. Minor patet, maior probatur: quia aliqui verificarentur ista duo contradictiones, Effectus non habet esse, & tamen causa dat illi esse. Deinde independens est prius saltem naturā dependente, at effectus est dependens causa autem independens.

Obiicit tamen Soncinas: Relata sunt simili naturā, sed causa, & effectus sunt relata, ergo sunt simili naturā, proindēque causa non est prior suo effectu: Item materia, & forma, in quantum causant, id est prout sunt vniū inter se, non sunt aliud quād ipsummet compoſitum, ergo non sunt priores suo effectu.

I Respon.

Quædam
difficultates
examina-
tur.

Num. 26.
Causa for-
malis &
materialis
non sunt
praefantio-
res suis effec-
tibus. Pre-
batur.

Num. 27.
Efficient &
finali sunt
praefantio-
res suis effec-
tibus.

Num. 28.
Causa omnia
est prior sua
effectu.